



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Artificium insolitum. n. 36.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

Alphonsum Agazzarium Seminarij de vībe Rectorem, decimo Calendas 1581.
Ianuarij huius anni datis eas hic recitare operæ pretium erit ut tanti viri testi-
monio res per se testata illustretur, sunt autem huiusmodi.

XXXV. Admodum Reuerende Domine: Oblatâ mihi hac commodi-
tate mitterendi literas, quam audie expertij (per aliquot enim iam dies copia om-
nis obstruēta fuit) non potui ad te non scribere pauca de rebus nostris, de qui-
bus haud dubie breui habituri estis longiorem narrationem. Post omnes dis-
putationes nostras in controversijs, de quibus audistis, die 20. & vigesimo pri-
mo Nouen:b. producēti fuere ad tribunal & lēgalē Majestatis damnati tredecim
Sacerdotes, nimirum, Edmundus Campianus Societatis Iesu, Rodulphus Sher-
winus, Jacobus Bosgrauinus, Thomas Fordus, Thomas Cottamus, Edwardus
Risdonus, Robertus Ionsonus, Lucas Kyrbeus, Alexander Briantus, Ioannes
Harius, Georgius Shirtus, Guilielmus Filbus, Laurentius Richardsonus, &
quartusdecimus Iurisprudentiae studiosus, Henricus Ortonus. Horum opinor
plus minus octo in Romano Seminarie aliquando fuerint. Obijciebantur illis
multa cum ad tribunal starent, sed praeceps quod conspiraverint cum summo
Pontifice Rege Catholico & Duce Florentino de iuuenda Anglia, quod
nunquam illis in mentem neque per somnum quidem venit; nam optimè se
defendebant in omnibus; Accusatores eorum præcipui erant tres iuuenes qui
aliquando Romæ fuerant, Mindæus, Sleddus, & Caddæus, qui neque propter
ætatem nec propter conditioñem infirmam aliquid huiusmodi scire potuissi-
sent si factum fuisset, multo minus cum clarissimè appareret ex aliorum res-
ponsionibus & factis & ipso rerum cunctu nunquam tale aliquid cogitatum
fuisse; & reuera isti lycophantas proflus agere videbantur; obiectando solum
res communes, & quod nihil commune haberet eum huiusmodi crimine;
Quod verbi causa, Pontifex illis fauisset; quod cum Cardinalibus quidam
illorum locuti fuissent, & similia, quæ planè ostenderent vel metu vel mer-
cede conductos ad acculandum. Videbatur tamen iam antea constitutum ut
omnes condemnarentur; Itaq; nulla præualuit defensio quin post aliquot ho-
ras altercando consumptas sententia mortis in omnes proferretur, quam illi
laetissimè admirerunt, & vñquisque protestatione primum facta coram
Deo, Angelis, Calo & terra de sua innocentia quoad obiecta scelerata, ostendit
singularem quandam consolationem de hac sorte, idque testatus est ali-
qua scripturæ lacræ lententiæ. Pater Campianus altâ voce recitauit, *Te Deum*
Laudamus. Pater Sherwinus, Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lae-
temur in illa; Alij alia plenissima consolationis spiritualis proferebant,
cum admiratione & commotione omnium qui aderant, ij autem pœni insi-
piti erant.

XXXVI. Certè, Domine mi, res erat miranda, & quæ omnibus fere
stuporem adseriebat, videre tot iuuenes post maxima & plurima tormenta
Christi causa perlata tam constantes & alacriter mortis lauissimæ iudi-
gium accipere; vnde liberare se minima quadam cessione potuissent;

O 2.

Referebat

Littere Per-
sonis de
morte Cam-
piani & So-
ciorum,

Hos habe-
re occultos
delatores
testes fue-
runt alij
publice,

158 f. Referebat enim Pater *Campianus* eodem in loco audientibus omnibus, non solum vitam & libertatem, verum etiam gratiam summam Reginæ, & promotionem oblatam fuisse cuique eorum, si tantum Ecclesiæ Protestantium adire voluisserent, quod penitus recusarunt. Nominabat etiam Pater *Campianus* Præfectum Castri Londinensis præsentem, qui inter alios hoc illis obtulisset; addens vterius nisi hoc facerent præter cætera tormenta, digitorum etiam vngues insertis acutissimis acubus auellendos. Quàm miserè verò Patrem *Campianum* varijs & exquisitis tormentis exagitasserent, appauuit eo die cum prodijt toto corpore concuslus, manibus propter vulnera in cruciatu accepta linteis obvolutus, quas nec ori admouere posset; animo tamen permanxit inuicto; & respondit vox firmia & alaci & vultu læto per tres fere horas continuas quibus coram tribunali stetit: Et certè ipsi inimici miris laudibus constantiam prudentiam & modestiam eius extollunt; Innocentiam verò nemo audet illi tribuere propter minacissima edicta quibus omnes iubentur eum existimare proditorem Patriæ.

Die primo huius mensis Decembri P. *Campianus* P. *Sherwinus*, & P. *Briantus* tracti fuerunt stipni per terram à Castro Londinensi ad Locum supplicij, qui ad tria fere millaria distat; & dum per plateas Londinenses traherentur multi Ministri illis insultabant; illi verò nihil respondentes hymnos & Psalms catabant. Cùm verò ventum est ad locum supplicij, ubi infinita hominum multitudo conuenerat; Pater *Campianus* primus scalam ascendit, & incipiebat ali quid dicere ad populum in illa verba, *spectaculum facti sumus Deo, Angelis & hominibus*: Sed Vice-Cornets Londinensis qui executioni præterat, abrupti statim sermonem prohibuitque loqui; pararet se ad mortem, veniamque rogaret à Regina & Populo de suis in Patriam delictis. Ille respondit se nullius reiesse conscientium, nihil inquam in Patriam cogitasse; idque satis eslè Deo & hominibus fuit, mori se tantum ob fidem Catholicam. Confestim prodijt in medium Heraldus quidam ad eam rem paratus, & legit alta voce scriptum quoddam Reginæ nomine, quo illa declarari volebat omnibus hos homines non propter Religionem sed propter læse Majestatis crimina morti tradi; At populus parum ea te moueri visus est, potius supicari fraudem ex hoc nouo & inusitato artificio. Pater *Campianus* breuissimè rem refutavit; & adjiciens pauca sed efficacissima verba ad populum, de fidei Catholicæ veritate, & dignitate, mortem latus obiit; deicérunt enim eum de scala, & strangulatum in quatuor partes diuiserunt, inspectantibus alijs duobus ad terrorem; sed illi nihil sunt terriri: Cùm enim expedito Patre *Campiano* Carnifex cruentis manibus & brachijs ad Patrem *Sherwinum* venisset, ad eum terrendum injiciens illi manus, & dicens, veri *Sherwine*, accipe & tu partem tuam; ille vultu læto amplexus est Carnificem, & cruorem manuum est osculatus; quâ re valde commotus est populus, & magno murmure extorxit viceComiti veniam ut hic loqueretur quæ vellet: Itaque ascendit scalam, & habuit efficacissimam exhortationem; quâ finitâ, inferuit collum laqueo, clamante multitudine, Bone *Sherwine*, Dominus Deus recipiat animam tuam: Duravitque diu ille clamor, nec eompelci potuit etiam cùm iam esset mortuus

Artificium
insolitum.

mortuus. Tertius *Briantus* pauca dixit, præter breuem confessionem fidei, & protestationem de innocentia, non solum facti, sed & cogitati aduersari Regi-
nam: Vultu tamen verè innocent & Angelico (fuit enim iuuenis pulcherissimus,
annorum non amplius viginti octo) spectatores omnes valde commouit, præ-
fertum cùm dicaret ingenti se gaudio efferi quod Deus eum elegisset, &
dignum fecisset qui mortem subiret ob fidem Catholicam, idque in Societate
Patrii *Campiani*, quem toto animo reuerebatur. Et reuera hunc Iuuenem ad-
uersarij oderant maximè propter Patres Societatis quibus erat intimus, de qui-
bus tamen nihil satrji voluit in summis tormentis, sed mislis claim ex carcere
literis petij ardentissimè in Societatem recipi, narrans miraculum quo Deus il-
li in medijs cruciatibus adfuit, i; quarum literarum exemplar credo vos iam re-
cepisse.

X X X I V. Dum hi martyres in partes dissecarentur, omni industria Ca-
tholici tutebantur ut aliquas saltem particulas furarentur: sed aduersarij hoc præ-
cauientes diligentiam magnam adhibebant. Vnus tamen iuuenis nobilis inge-
rēs se inter alios perīmisit sudariolum suum in terram cadere ut imbutum sanguine
P. *Campiani*, vel sic aliquid sanguinis acciperet, sed res statim animaduersa
fuit & ille comprehensus est, & in custodiā traditus: Dum tamen ille pre-
henderetur, in tumultu alter nactus opportunitatem abscedit digitum ciuidem
Campiani & abicondit. Cumque illud etiam animaduerteretur, licet magna
faetasit inquisitio, iuueniri tamen non potuit qui fecerat: Alter iuuenis cùm
videret nihil furtum auferri posse, obtulit secretō octoginta aureos, seu viginti
libras nostrates, carnifici pro uno solo articulo digitū Patrii *Campiani*; sed non
est aulus dare; Vestes eorum valde queruntur à Catholicis ut pecunia redi-
mantur, sed haec tenuis nihil potuit obtinere. Existimatur aduersarios velle om-
nes comburere, nè aliquid in manus Catholicorum veniat.

Statim ab horum morte aliud nouum Edictum typis excusum, & publi-
catum est, ne quis existimaret illos ob Religionem interijsse; quod nunquam
antea factum est in Anglia hominibus Iudicio publico damnatis: Alij vnde-
cim noindum plexi sunt, sed seruantur, ut dicitur, ut varijs in locis, maximè
verò in vniuersitatibus & oppidis maritimis moriantur, ad maiorem horro-
rem ceteris incutiendum. Pater *Personius* valde queritur ab aduersarijs, &
iam constans rumor est illum esse captum; vnde magnæ gratiae aguntur à mi-
nistris. Quatuor viri nobiles quorum in ædibus Pater *Campianus* fuisse cre-
ditur (licet res probari non poslit) in nouem millibus aureorum damnati
sunt, & in alios inquiritur apud quos fuisse suspicio est. Inquirunt etiam dilig-
entissime in omnes qui reculant adire Ecclesiæ protestantium, & secundum
nuperam legem soluere debent octoginta aureos in singilos menses; multos
etiam bonis fere omnibus exuerunt; vergitque sanè res ad maximas angustias.
Catholici tamen per Dei gratiam constantissimi sunt cælesti confortatio-
ne imbuti.

Ex his videre est quâ animi præparatione ad nos venire debeant fratres

O 3

nostri,

Catholico-
cum pietas.

Im Mortali
Inscriptio
Coburg.

Et afflictio.